

difficilia portatu, vt Vulgata habet, sed *importabilia*, vt SCHMIDIVS, humeris hominum imponebant: Moses per *euangelium*; Pharisei per *legem* magis, quam euangelium, salutem quaerendam dictitabant: Moses, amore Dei, & sponte suapte legem seruari, volebat; Pharisei vel metu poenarum, vel amore proemiorum. En tibi opera, illa diuina, haec humana; illa Mosaica, haec Pharisaica, secundum quae non erat populo vel credendum, vel agendum! Et haecenus omnino fuerunt coeci, quod nemo negat. An SS. Trinitatis, & incarnationis Filii Dei mysterium habuerint cognitum, id quidem alii cum CWTWORTO & ALLIXIO affirmant, alii cum BASNAGIO negant, quorum hic priores refutat quidem, in *Hist. Jud. T. III. L. IV. c. 3. § 25.* illis tamen argumentis, quae fidei analogiam laedunt. Loco Matth. XXII, 45. seq. quo BASNAGE nititur, alter potest opponi Matth. XXVI, 63. & auctoritas non modo Targumim, sed & libri Zohar. Lis vero omnis componi potest, si inter distinctam & confusam notitiam distinguatur. Ab errore *μετεμψυχώσεως* idem BASNAGIVS in *Annal. Polit. Eccles. T. I. p. 187.* cum CAMERONE in *Praelect. ad Matth. XIX, 3. Opp. p. 171. seqq.* eos liberauit, contradicente tamen PAVLO SCHLEVOGTO, in *Dispp. Acad. p. 885.* qui Cameronem confutare voluit. In argumento de Libero arbitrio si non Pelagiani, tamen Semi-Pelagiani erant. Regenerationis modum eos ignorasse, exemplum Nicodemi testatur, Ioan. III, 10. Alia eorum ascititia dogmata recitat JOSEPHVS *Lib. XVIII. Antiqq. c. 11. § de B. I. L. XI. c. 12.* EPIPHANIVS *Haeres. XVI.* Quamuis autem tam multi, tamque graues fuerint Phariseorum errores, Seruator tamen, quem haec latere non poterant, non dubitat populum ad eos remittere audiendos, nunquam certe id factururus, ni sciuisset etiam, eos, non modo diuinae veritatis, saltim qua portionem aliquam, fuisse cog-
gni-